

terfectus est. Cadaver cruentum, ac nudatum Ravennam delatum; inde loculo inclusum ad urbem ducitur. In divi Augustini fano exposito, cum propinqui egregiam funeris pompam pararent, Decemvirum jussu, ne id perficerent, prohibiti sunt. Iis, qui cædis auctores indicassent, magna a Decemvirum collegio proposita præmia; impunitas, ac duo aureorum millia, si eos, qui sibi mandata patrandi facinoris dedissent, patefacerent, pollicita. Præmio illectus miles, *Campana* cognomine, patria Cremonensis, qui propria manu Bernardum confecerat, scelus detexit, mandatique culpam in Ludovicum, & Marcum Antonium Eritios fratres, Maphæi ex sorore nepotes, atque Ludovicum Armium Bononiensem conjecit; qui locupletissimi viri bonis inhiantes, Campana facinoroso homine pecunia, ac pollicitis corrupto, ad avunculum obtruncandum per summum scelus usi fuerant. Eritii, atque Armius, qui Mediolano, Gonzaga consentiente, armatorum custodia septus, Venetias perductus fuerat, quæstioni subjiciuntur; crimen fatentur; in Ludovicum, atque Armium securi inter geminas columnas animadversum; Marcus Antonius, quem plene ea noxa non attigerat, perpetuo carceri mancipatur, quo paucos post dies effracto, aufugit. Indici absoluto ex publica fide pecunia numeratur; qui, ut plerumque scelestis, ac facinorum colluvione commaculatis hominibus evenit, haud multo post Romæ laqueo delictorum poenas dedit.

1546

*Ludovicus
& Marcus
Antonius
Eritii, &
Ludovicus
Armius,
Bernardi
necis rei, de
liti panas
luunt.*

M. D. XXXXVII.

ANni, qui subsequitur, initium duorum potentissimorum Regum Galliae, atque Angliæ obitus memoria posteris insignem reddidit. Henricus Angliæ Rex, hujusce nominis octavus, cum triginta atque octo annos imperasset, excessit; Princeps alioqui magnæ virtutis, literisque, quod perraro in ea sublimi fortuna locatis accidit, apprime excultus, nisi Annam Boleniam, amore dementatus, Catharinæ priori uxori repudiatae superinduxisset; atque ob id, cum illi a Clemente Pontifice sacris interdictum esset, ab avita religione deflexisset. Fuerat is propenso in Venetos animo; licet nonnun-

1547

*Henrici
Angliæ Re-
gis obitus.*

R r 4

quam